

GREGORIUS PAPA XIII.

Universis Christi fidelibus præsentis literas inspecturis salutem,  
& Apostolicam benedictionem.

**E**MENDATIONEM Decretorum, locorumque à Gratiano collecto-  
rum, (erat enim is liber mendis & testimoniorum depravationibus  
plenissimus,) à nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus  
nostris optimo consilio susceptam, selectisque ad id negotium san-  
ctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & aliis eruditissimis viris adhibitis  
commissam, multis autem, variisque impedimentis hætenus retardatam:  
nunc tandem, vetustissimis Codicibus ubique conquisitis, auctoribusque  
ipsis (quorum testimoniis usus erat Gratianus) perfectis, quæque perpe-  
ram posita erant, suis locis restitutis, magna cum diligentia absolutam,  
atque perfectam, edi mandavimus. In quo magna ratio habita est Ope-  
ris ipsius dignitatis, & publicæ, eorum præsertim, qui in hoc studio ver-  
santur, utilitatis. Jubemus igitur, ut quæ emendata & reposita sunt,  
omnia quàm diligentissimè retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur,  
aut imminuatur. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Pisca-  
toris, die secundâ Junii, M. D. LXXXII. Pontificatûs nostri Anno  
undecimo.

ANT. BUCCAPADULIUS.